



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

Parallelia Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 4. Lacus, & Piscinæ Campaniæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

**SAVO**, Piger dictus Statio, quia videlicet in paludes diffunditur; hodie *Sauone*, seu *Saone*.

**LITERNS**, qui & *Clanis*, & *Glanius* Liternum alluens: hodie *Clanio*, seu *Patria*.

**SEBETHVS** ad Neapolim cadens, hodie *Fornello*, aliter *Fiume della Maddalena*.

**SARNVS**, in cuius capite incolæ Sarrastes dicti apud Maronem: describit eum Procopius rerum Goth. lib. 4. sed hic malè Δεσκαρ dicitur: nunc *Sarno* in parte sui superiore, in inferiore *Scafati*, seu *Scafato* ab oppido quod alluit.

N V M. 4. *Lacus & Piscine Campanie.*

**ACHERVSIUS** lacus, & **PALVS ACHERVSIA** inter Pro. Misenum, & Cumas, cœnosa maris effusio Straboni, cuius quoque meminit Lycophron: malè quidam hunc cum Lucrino & Auerno confuderunt: hodie *lago di Collucia*.

**LACVS AVERNVS**, vndique collibus inclusus nisi in exitu, ferè retundus: scripsit Strabo narrari fabulā de aubus in eum decidentibus quod solet accidere ἐν Πλάτωνις, vnde aliqui dictum putant quasi ἀδόποι. Ad hunc erat Antrum Auerni dictum hodie *la Grotta di Sibylla*, Cuniculus ab Agrippa ductus sylvis excisis, & mari immisso in Lucrinum & Auernum, quando & factus est portus, *Iulius* dictus. Ad hoc Antrum credit Strabo lib. 5. habitasse Cimmerios quorum meminit Homerus, & eò translata esse, quæ de Bosphoranis dicuntur: hodie lacus ille dicitur *lago d'Auerno*, vel *di Trepergole*.

**LVCRINVS** iunctus cum Auerno per angustas fauces continuus Baiis, exclusus à mari aggere octo stadiorum, latitudine vnius currus: hic agger dictus est à Cic. Proper. Lycoph. *via Herculea*. Abundabat lacus ille ostreis, & piscibus delicatissimis, dicebaturque aliter **BAIANVS**: nunc nihil eius superest nisi palus lutosa cum arundineto, ex quo mons hic nouus extitit terræ motu 1538. qui vocatur *Mons nouus*, vel *Cinereus*.

**PISCINA LVCVLLI** & villa, ad quam struendam montem excedit, vnde dictus Xerxes Togatus: hodie *lago d'Agnano*.

**CHARONEÆ** Scrobes ad prædictam piscinam exeuntibus ex Cryptâ Neapolitanâ: hodie *la Grotta del Cane*, de quo loco in Admirandis agemus.